444

444
E 22

E
22

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 22

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 22

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 22

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 22

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 22

57.

KW 444 E 22

EXERCITIUM JURIDICUM
INAUGURALE

# Ad L. qui tacet non utique fatetur, ſed verum &c. 142. ff. de Reg. Jur.

*QUOD*

DANTE DEO OPT. MAX.

*Ex auctoritate Magnifici Rectoris,*

D. CAROLI DRELINCURTII,
Regii olim in Galliis Medici, nunc verò in hac
Univerſitate Profeſſorum Antiquiſſimi,

NEC-NON

*Ampliſſimi Senatûs Academici Conſenſu, ut & Almæ
Facultatis* Juridicæ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORALI,
Summiſque in Utroquf Jure Honoribus ac Privilegiis
ritè & legitimè conſequendis,

*Eruditorum examini ſubjicit*

ALEXANDER van EDENBURGH, Delph.-Bat.

*Ad diem 6 Iulii, horâ locoque ſolitis.*

*LUGDUNI BATAVORUM,*
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typograph. MDC LXXXVIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 22

# SACRÆ THEMIDI SACRUM.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 22

## EXERCITIUM JURIDICUM INAUGURALE

# Ad L. qui tacet non utique fatetur, ſed verum. &c. 142. ff. de Reg. Jur.

### THESIS I.

De utiliſſimo juris axiomate quod in *l. 142. ff. de Reg. Jur.* His conceptum eſt verbis: *Qui tacet non utique fatetur, ſed verum eſt eum non negare* locuturus, haud abs re facturus videor, ſi prius de *Autore* legis pauca dixero, dein præmiſero, quid ſit *tacere*, quid *fateri*, quid *conſentire*, & ex adverſo *negare*, *qui conſentire ac fateri poſſint vel non.* Quibus præludii loco expoſitis, planior ad legis illius explicationem & ſenſum apparebit via.

### II.

Regulæ autem hujus Autor fuit Julius Paulus Juriſconſultus ante unà cum Domitio Ulpiano Aſſeſſor Æmilii Papiniani, Præfecti Prætorio, deinceps Prætura & conſulatu clarus, tandem



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 22

Ulpiani ſucceſſor in dignitate præfecturæ Prætorio. Hic, præter alia plura volumina, ſcripſit ad edictum libros octoginta & amplius, ex quorum libro quinquageſimo ſexto deſumpta eſt *D. l.* 142. adeoque probabiliter ex materia rerum judicatarum ac confeſſionum, quam in illo libro fuiſſe tractatam colligi poteſt ex *l.* 1. *ff. de Confeſſis*, quæ ex eodem libro eſt deprompta.

## III.

In limine quæritur, an tacere, medium ſit inter conſentire, & diſſentire, quod, quatenus qui tacet non magis contradicit, quam conſentit, non difficulter poterimus affirmare, uti non nolle eſt medium inter nolle & velle, & patientiam denotat. *l.* 1. §. 3. *ff. de tributoria actione*. Sic in titulo de confeſſis qui tacet neque habetur pro confeſſo nec pro inficiatore, ideoque ſi actio fuerit damni injuriæ non tenetur confeſſoria legis Aquiliæ in ſimplum neque ejuſdem actionis inficiatoria in duplum, *l.* 4. *C. de Lege Aquilia*. Eodem modo filius pro patre ſuo agens ſi interrogatus taceat, neque fateri neque etiam negare cenſetur, ſed omnia perinde obſervanda ſunt ac ſi interrogatus non fuiſſet. *l.* 19. *ff. de interrog. in jur. fac.* Alio tamen ſenſu ſi rem conſideremus, medium inter utramque extremitatem vix dici poteſt, quoniam tacere dicitur, qui contradicendi conſentiendique poteſtatem habet, neque tacet qui eam non habet, cum ejus ſit nolle, qui poteſt & velle. *l.* 8. §. 2. *ff. de option. legat. l.* 3. *ff. de Reg. Iur.*

## IV.

Fateri vel confiteri hic dicitur ille, qui qualitercunque contra ſe pronuntiat, qualis confeſſus pro judicato eſt, & quodammodo ſua ſententia damnatur. *l.* 1. 3. 5. *ff. de confeſſ.* eſt autem confeſſio vel expreſſa, quæ verbis aut ſcriptura fit: vel tacita, quæ ex facto colligitur, veluti ex tranſactione ſuper delicto privato. *l.* 5. *ff. de his qui notant. infam.* quandoque etiam ex ſola taciturnitate, quoties ſilet is, qui reſpondere tenebatur, & confeſſio tacenti eſſet nocitura, de quo inferius dicendum.

V. Quan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 22

V.

Quanquam autem inter fateri vel confiteri & conſentire nullam dici poſſet intercedere differentiam, quatenus is, qui confitetur, conſentit, ac confitentes & conſentientes in unam ſententiam cum alio concurrunt, & ex diverſis animi motibus in unum conſentiunt. *l. 1. §. 3. ff. de pactis.* alio tamen reſpectu differunt: confitemur namque regulariter ea quæ ſunt præterita, cum ita eſſe affirmamus, ut dicuntur, conſentimus in futurum ut aliquid fiat. Confitemur præcedente interrogatione, conſentimus etiam nulla interveniente interrogatione.

VI.

Conſentire porro eſt, cum plurimum voluntates (quanquam conſenſus eſſe poſſet etiam unius) circa unam eandemque rem ad idem concurrunt, utroque approbante & ſciente, ſive tacite ſive expreſſe hoc fiat. Conſenſus ergo duo habet principia intellectum & voluntatem, ſc. ut idem intelligant & idem velint conſentientes: ac proinde deficit confeſſio vel conſenſus in furioſis & mente captis, quamquam furioſi non diſſenſus aliquando pro conſenſu habeatur. *l. 2. §. 2. ff. ſoluto matrim. pr. I. de nuptiis. l. 25. C. eodem.* Sic nec conſentire poteſt talis ebrius, qui uſu rationis privatus eſt, cum non creditur intellectum nec proinde habere voluntatem. *arg. l. 8. ff. de ſponſalibus. l. 40. ff. de Reg. Iur.* deficit & iis conſenſus, quibus bonis decreto magiſtratus interdictum eſt, eatenus ſc ut ſemetipſos obligare nequeant. *l. 1. & 6. ff. de Curat. furioſo. l. 40. ff. de Reg. Iur. l. 6. ff. de Verb. Obligat.* Sic nec propter ætatem conſentire poteſt infans ſeptennio minor, nequidem tutore autore. *§. 9. I. de inutil. ſtipulat.* Infantiæ proximus eatenus conſentit, ut alium ſibi civiliter poſſit obligare. *d. §. 9. verſ. ſed in proximis.* non vero ut ſe ipſum obliget, nequidem naturaliter. *d. §. 9.* quia ejus ætas, quicquid videt, ignorat. *l. 1. C. de falſa moneta.* pubertati proximus, quippe in quo perfectior eſt conſenſus, ſibi alium civiliter, ſemetipſum tantum naturaliter adſtringit. Minores regulariter ipſi conſenſum efficaciter adhibent, niſi curatores acceperint, tunc enim ſibi alios adhuc obligare poſſunt, non vero ex ſua conventione obligari:

 niſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 22

niſi ad conventionem alienatio bonorum non ſequatur, ut in ſponſalibus & nuptiis, & ſimilibus, ad quæ reſtringenda. *l.* 101. *ff. de Verb. obligat.*

## VII.

Tacemus autem vel circa ea, quæ proloqui & propalare non tenemur, dum nec Reipublicæ nec tertii intereſt: qualia innumera fere in uſu quotidiano occurrunt: vel circa ea, quæ tenemur eloqui aut indicare, idque vel rogati, vel non rogati.

## VIII.

Non rogati, quoties rem vendimus morbo vitiove latente laborantem; hujus enim vitii morbive quod ſubeſt, certiorem reddi Emptorem neceſſe eſt, cui alioquin ex tali ſilentio contra venditorem eſſet prodita actio redhibitoria, vel quanti minoris ex Ædilitio Edicto. *tot. l.* 1. *ff. de Ædilitio Edicto.* qua in re ſilentio æquiparatur, ſi quis callide vel doloſe aliquod vitium diſſimulet, vel obſcure loquatur. *l.* 43. §. *ult. ff. de Contrah. Emptione.*

## IX.

Rogati reſpondere tenemur, niſi juſtam ipſi dubitandi cauſam habemus, ut puta ſi rogati an hæredes ſimus controverſiam hæreditatis ab alio ipſi patiamur. *l.* 6. §. 1. *ff. de interrogat. in jure faciendis.* vel interrogemur de facto alieno. *l.* 9. §. 3. *l.* 19. *ff. eodem.* imo & de noſtro rogati facto, tempus deliberandi recte petimus, ne temere reſpondeamus. *l.* 5. *ff. eodem.* cum reſponſione noſtra nobis præjudicemus, ſive vero, ſive falſo reſponderimus. *l.* 4. 7. 8. *ff. eodem.* modo naturæ rei & juri conſentanea ſit, & juſta non ſubſit erroris cauſa. *l.* 11. §. 8. & 10. *l.* 14. *ff. eodem.*

## X.

Quid ſi taceat interrogatus, dubium, quo modo interpretari debeamus ipſius ſilentium? dicendum videtur, generaliter quidem ſilentium in eo caſu contra ſilentem recipere interpretationem.

*l.* 11.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 22

*l.* 11. §. 4. *ff. ff. de interrogat. in jur. faciend.* cum ſilere ad objecta nihil aliud ſit quam cauſam non ſolum perdere ſed prodere. Sed in univerſum non poſſe ex ſilentio colligi affirmationem vel confeſſionem, aut ei oppoſitam negationem, ſed locum eſſe legi noſtræ. *Qui tacet, non utique fatetur, ſed verum eſt eum non negare*. Perinde ac ſi dixiſſet Paulus Juriſconſultus, eum qui tacet nec pro confitente nec pro negante ſemper habendum eſſe, ſed ſilentium ejus, quandoque pro conſenſu & confeſſione, quandoque pro negatione accipiendum eſſe, prout concurrentes circumſtantiæ id ſuaſerint: ex. gr. pro negatione, ſi quis, cum ex ſemiſſe heres eſſet, rogatus an & ex qua parte hæres eſſet, non reſpondeat, in ea cauſa eſt, ut inſtituta actione in ſolidum conveniatur, quaſi ſe hæredem eſſe negaſſet. *l.* 11. *§.* 3. *&* 4 *ff. de interrogat. in jure faciendis.* pro conſenſu & confeſſione, ut ſi quis rogatus, num pro hærede poſſideat an pro poſſeſſore, ſileat, taciturnitas ejus ita interpretabitur, ut cenſeatur pro poſſeſſore poſſidere, qui qua talis ad majora tenetur quam ſi pro hærede, poſſideat, cum tacendo loqui non inficiando confiteri videatur.

## X I.

Sed ut plenius de effectu ſilentii conſtet, quando inde confeſſio & conſenſus, quando negatio & diſſenſus colligi debeat, commode puto hac diſtinctione, poſſe explicari, aut enim factum tale eſt, quod ab ipſo tacente contradicendo poſſet impedire, quo caſu tacens conſentire cenſebitur. *l.* 63. *verſ. ſcientibus ff. de re judicata.* aut talis eſt actus, qui poſſit etiam tacente invito expediri, atque tunc taciturnitas pro conſenſu habenda non erit. *l.* 39. *ff. de pignorat. act.*

## X I I.

Exempla prioris caſus ſunt plura: ſic cohærede ex parte dimidia, totam rem vendente, alter cohæres præſens & tacens videtur in venditionem conſenſiſſe, & ſinguli ſuam cenſentur vendidiſſe partem. *l.* 12. *ff. de Evictionibus.* Similiter dominus, qui ſe præſente & ſciente, patitur rem ſuam pignori obligari, habetur

pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 22

pro conſentiente. *l. 26. §. 1. ff. de pignor. & hypoth.* Sic conſcii perduellionis ſi hoc ſcelus non detegant, in perduellionem conſentire videntur, & proinde ut ejuſdem criminis rei puniendi. *l. 5. §. 6. C. ad Leg. Iul. Maj.* quo modo etiam frater non ignarus fratrem veneno properaturum fata paterna, ſi hoc patricidium mature non detexerit, in necem patris conſentire cenſetur, aut ſaltem eo ſilentio ita nocens, ut propterea relegatus dicitur in *l. 2. ff. ad Leg. Pomp. de parricid.* ſilentium quoque tacentis & ſua negotia geri ſcientis loco mandati eſt. *arg. l. 18. ff. mandati. l. 60. ff. de R. I.* plura exempla vid. *in l. 7. C. de appellat. l. 1. C. de poſtuland. l. 3. C. quomodo & quando Judex. &c. §. 8. I. Quibus modis jus patr. poteſt. ſolv.*

## XIII.

Quod ſi talis ſit actus qui etiam tacente invito poſſit expediri taciturnitas pro conſenſu non habetur. *l. 39. ff. de pignorat. Act.* Hinc velle non creditur qui obſequitur Imperio patris vel domini. *l. 4. ff. de R. I.* & quod cogente imperio fit id ſponte fieri non dicitur. *l. 41. C. de tranſact.* ſi tamen filiusf. delatam ſibi hæreditatem juſſu patris adierit, voluiſſe videtur, tametſi citra imperium patris non erat aditurus: Quamvis igitur non credatur velle, qui obſequitur imperio patris vel domini. *d. l. 4. ff. de R. I.* maluiſſe tamen videtur id quod pater voluit, ſua quaſi coactus voluntate. *l. 21. §. 5. ff. quod metus cauſa. l. 85. ff. de acq. vel amitt. hæred.* quaſi navis levandæ gratia qui jacturam facit, dum vult ſe liberare periculo, nec tamen damnum facere *l. 8. ff. ad Leg. Rhod. de jactu.* & in aditione ſufficit etiam coacta & remiſſa voluntas non ſimulata & fallax. *l. 6. §. ult. ff. de acq. vel amitt. hæredit.* in manumiſſionibus vero exigitur expreſſa integra, & libera voluntas, nec igitur in eis habetur taciturnitas pro conſenſu, nec coacta voluntas pro voluntate.

## XIV.

Quæri hic haud abſurde poteſt, an & quemadmodum cauſa matrimonialis tacitum admittat conſenſum: quod enim ad conſenſum ipſorum principalium contrahentium attinet, eum expreſſum debere eſſe ſatis omnes textus indicant, quoniam omnes de conſenſu loquuntur, ut eſt in *l. 11. ff. de ſponſalibus*, & præterea non concu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 22

cubitus ſed conſenſus nuptias facit. *l. 30. ff. de R. I.* ſi itaque tacitus ſufficeret conſenſus, neceſſario ille ex nudo concubitu concluderetur, quod contra mentem Legiſlatoris eſt. Sub conditione contracto matrimonio, eveniente ea, novo conſenſu opus non eſt, quia conditionem eventus purificat. *arg. l. 7. ff. de contrahenda Empt.*

## X V.

Poſſet dubitari an non probabilis quidem actus inducat conſenſum in matrimonium, puta cohabitatio liberæ mulieris ejuſdem cum eo, quo cum conſuetudinem habet dignitatis, honeſtatis &c. Affirm. cum in dubio juſta potius uxor, quam concubina præſumatur, niſi corpore quæſtum fecerit, & non niſi dignitate & honeſtate concubina diſtinguatur à legitima uxore. *l. 41. §. 1. ff. de ritu nuptiarum. l. 49. §. 4. ff. de Legat. 3.*

## X V I.

Quoniam præter conſenſum contrahentium etiam parentum requiritur: quæro, an hic ſaltem tacitus non ſufficiat? Fateor plures textus ſimpliciter de conſenſu loqui, ut eſt *l. 2. l. 9. in principio ff. de ritu nupt. pr. Inſt. de nuptiis.* Verum ex his conſenſum eorum in quorum ſunt poteſtate, præciſe expreſſum debere eſſe, vix video: ſufficere etiam tacitum exiſtimo. *l. 5. C. de ritu nupt. l. 11, 12, 13. ff. de ſponſal.*

## X V I I.

Quid ſi filiaf. metu reverentiali nupſerit cum quo matrimonium non contraxiſſet, ſi ſui eſſet arbitrii, videturne conſenſiſſe? Videtur, verecundia voluntatem mutante, ſufficit enim in nuptiis qualis qualis voluntas, & taciturnitas filii & filiæ pro conſenſu habetur. *l. 12. ff. de ſponſ. l. 22. ff. de ritu nupt.* Secus ſi metus parentum non ſit reverentialis, ſed talis qui poſſet adferre cruciatum corporis. *arg. l. 6. & 7. C. de his quæ vi metuſve cauſa geſta ſunt.*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 22

## XVIII.

Non tamen omnis qui tacet, cum factum tale ſit, quod ab ipſo contradicendo poſſit impediri, conſentire videtur, id enim quod agitur aut totum ad ejus utilitatem qui tacet pertinet, & tunc ſilentium tacentis ſæpius habetur pro conſenſu, ſic qui præſens & tacens alium pro ſe fidejubere patitur, tenetur mandati actione ex tacito conſenſu. *l. 6. C. mandati.* Similter puella vel proca tacens, cum etiam inſponſalibus illam conſentire oportet, ſi annulum vel aliud quid ſimile eo nomine à proco acceperit, videbitur tacite in ſponſalibus conſenſiſſe ipſa acceptatione. *arg. l. 11. & ſeq. ff. deſponſalibus.*

## XIX.

Quæritur an pollicitatione, quæ eſt ſolius offerentis promiſſio. *l. 3. ff. de pollicitationibus.* Vel ſi quis præſenti debitum remittere, aut aliquid donare profiteatur, tacenti neque acceptanti exceptio inde quæratur aut actio: proclivior ſum in ſententiam negantem quia nullo caſu tacens, qui libere conſentire poteſt, quoad hunc effectum, ut ei actio vel exceptio queratur, pro conſentiente, habendus videtur, neque taciturnitas ſufficere debet & prodeſſe ei. Cui imputari poteſt, quod voluntatem ſuam non declaraverit. *l. 10. ff. de donat. l. 55. ff. de oblig. & act.* & qui merito, videri poteſt repudiaſſe beneficium quod non obtruditur invito. *arg. l. 39. ff. de pactis.* niſi conſenſus quædam ſigna præceſſerint, vel antea de remittendo debito vel donando inter partes actum fuerit. Quanquam & fieri poſſet hoc in caſu præſentem & tacentem non quidem conſentire vel negare, ſed modeſtia quadam deliberare cum fortaſſe è re ſua id futurum non eſſe credat, aut beneficium accipiendo libertatem vendere nolit, neque enim poteſt, animo præditus ingenuo, quicquam acceptare, quin de referenda gratia ſtatim cogitare incipiat, ad quam rem natura ipſa omnes obligamur. *l. 25. §. 11. ff. de petit. hæredit.* Si vero quod agitur non quidem ſit noſtra cauſa, neque plane ad commodum noſtrum, ſed ſi recte factum nobis prodeſt, vel ad affectionem noſtram pertinet, non recte factum nocet, & cum poſſumus prohibere

non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 22

non prohibemus, conſentire cenſemur. Exempl. *in l. 7. §. 1. ff. de ſponſ.*

## X X.

Si vero id quod agitur ad tacentem obligandum vel ad rem ejus aut jus imminuendum ſpectat, ſilentium ejus pro diſſenſu habetur: quo modo debitor qui tacente creditore pignus diſtrahit ſilentium creditoris male verterit in aſſenſum alienationis, hoc enim nihil creditori nocet, cum ſcit rem ſemper tranſire cum ſuo onere adeoque jus ſuum firmum manere *l. 8. §. 15. ff. quibus modis pign. vel hypoth. ſolvitur.*

## X X I.

Fallit hæc Regula 1° in Servitute, de qua quæri poteſt, an ad eam acquirendam requiratur titulus, an vero patientia domini valeat pro titulo? Id eſt an tacens videatur in ſervitutem acquirendam conſentire? Videtur non opus eſſe titulo, ac proinde tacentem conſentire. *l. 10. ff. ſi ſervit. vind. l. 2. C. de Servitut. & aq. l. ult. C. de præſcript. long. temp.* 2°. Si Colonus conduxerit agrum ad certum tempus, & exacto conductionis tempore maneat in conductione ſciente & patiente domino, placet utriuſque partis taciturnitate non ſolum renovatam videri conductionem in annum integrum, ſed etiam pignora durare obligata. *l. 13. §. 11. ff. locat.* 3° Si filiusf. patre præſente decurio creatus ſit, pater omnibus obſtringitur oneribus quæ filio Decurioni injungentur ideoque ſi à Duumviris filiusf. Decurio tutor creatus fuerit, voluntate patris tutor factus videbitur, ideoque quaſi agnoverit tutelam pater, pupillo in ſolidum tenetur, ut fidejuſſor. *l. 2. l. 7. §. 3. ff. de Decurionibus*, conſenſiſſe enim filii decurionatui videtur pater ſi nominationi non contradixit. *l. 2. pr. ff. ad municipalem*: Decurionatus autem neque ad utilitatem filii, neque patris ſed ad utrumque onerandum pertinet *l. 16. ff. ad S. Conſult. Maced.* 4° Fallit in caſu, quo recipiens litteras aliquas ſimpliciter & abſque proteſtatione omnia in iſtis litteris contenta, fateri intelligatur. *l. 16. ff. ad Senat. C. Maced. l. 26. §. fin. ff. depoſiti. l. 34. §. 1. ff. de pignorib.* 5° Non



proce-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 22

procedit in his quæ pater facit in perſona vel re filii jure ſuo, ubi tamen filii quoque conſenſus requiritur, hic enim filius tacens conſentit, ut in adoptione *l.* 5. *ff. de adopt.* item in ſpecie *l.* 2. *§. ult. ff. ſoluto matrimonio.* tum quia ad filii exiſtimationem id pertinet, ne reluctetur patri, tum quia ad utilitatem, cum nullus affectus vincat paternum.

## X X I I.

Non abſurde etiam ulterius in theſi dicamus in obligatione mere perſonali taciturnitatem magis haberi pro contradictione quam pro conſenſu *l.* 8. *§.* 1. *ff. de procurat.* Ubi is qui præſens conſtituitur procurator, & tacet, non videtur conſentire. Adde *l.* 13. *§.* 2. *ff. de recept. qui arbitr. recep.* Exceptionem invenimus in *l.* 4. *§. fin. ff. de fidejuſſ. tut.* in qua fidejuſſor tutoris, ſi præſens & ſciens patiatur nomen ſuum in actis ſcribi, nec contradicit, favore pupillorum habetur pro conſentiente, & efficaciter obligatur, quia fidejuſſionem contradicendo potuiſſet evitare, quotiens enim in ſavorem aut odium aliquid receptum eſt, toties recedimus à communibus Regulis juris. *l.* 14, 15. *&* 16. *ff. de Legibus*, quod etiam recte ad patrem extendendum nec diſpar ratio eſt.

## X X I I I.

Quæritur an præſentia tertii tacentis in actu alterius illi præjudicet? Reſp. Primum notandum eſt præſentiam intelligi non tantum corporis ſed animi; Hoc eſt intelligentis quid agatur. *l.* 1. *in fin. & l.* 14. *ff. de autorit. tut. l.* 27. *§. penult. ff. de arbitr.* Deinde ex obſervatione ſtatuendum eſt nullam in hac quæſtione certam tradi poſſe Regulam ac definitionem, quamobrem ſpecies quædam ſingulatim notandæ ſunt. Præſentia patris in filiæ ſponſalibus tacentis, pro conſenſu notatur. *l.* 7. *ff. de ſponſalibus.* at contra præſentia tutoris, dum pupillus negotium gerit, tacentis, pro autoritate non valet, nam auctorem fieri eſt dicere ſibi probari quod agitur. *l.* 3. *ff. de Auctorit. tut.* Præſentia Domini de cujus re quiſpiam in ſuo teſtamento legat & tacentis & ſubſcribentis ei non præjudicat. *l.* 39. *ff. de pignorat. act.* at con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 22

contra ſubſcriptio tertii cujus res oppignoratur, pro conſenſu numeratur. *l. 26. §. 1. ff. de pignoribus*. Præſentia Legatarii in rei ſibi legatæ diviſione ab hæredibus facta, & tacentis & teſtis, ei non præjudicat. *l. 34. ff. de legat. 2.* At contra præſentia ſocii, dum alter in re communi aliquid facit, tacentis ei præjudicat. *l. 28. ff. communi Dividundo*. Præſentia patris, dum filio pecunia creditur, tacentis Senatſc. Macedon. impedit. *l. 12. ff. ad Senat. C. Maced.* Præſentia Creditoris, dum ſervus oppignoratus manumittitur, aut fiſcus Hypothecas diſtrahit, tacentis, pignoris remiſſionem inducit. *l. 8. C. de remiſſ. pign.* Præſentia fideicommiſſarii, dum hæres fundum fideicommiſſum vendit, tacentis, facit ut non rem ſed ejus pretium petere poſſit. *l. 92 ff. de Legat. 1.* Præſentia impuberis, dum ei mutua pecunia tutore auctore datur, tacentis, eum obligat. *l. 13. ff. de auctoritate tut.* Præſentia vicini, dum à vicino novum opus fit, tacentis, ei præjudicat. *l. 19. ff. de aqua & aqua pluv. arc.*

## XXIV.

Ad alterius juris diminutionem, vel ſublationem actionis ſibi competentis, qui tacet conſentire videtur favore libertatis in caſu *l. 1. C. de remiſſ. pign.* ut & ſi quis de creditoribus ſolenniter proclamatus taceat, *l. 6. C. de remiſſ. pign.* Sic in *auth. ad hoc quiſuam C. de lat. libert. toll.* ubi ſi quis ancillam ſuam alicui doloſe prolibera in matrimonium collocat, dominium amittit. ratione quoque conjunctionis aut vinculi ſanguinis: itaque ſi unus ex tribus fratribus rem communem uxori ſuæ donet, pro tertia parte ea ſc. quæ mariti eſt, non valebit donatio, pro duabus reliquis partibus valebit, ſi modo fratres ſciverint, expreſſe conſenſiſſe opus non eſt. *l. 38. §. 1. ff. de donat. int. vir. & uxor.* tandem addendus etiam hic caſus eſt, qui traditur in *l. 33. ff. de re judicata.* Ubi, cui primo actio vel defenſio alicujus rei competit, patitur ſequentim agere, ſententia lata contra agentem, etiam nocet ei cui primo competebat, quia ex voluntate ejus de jure, quod ex perſona agentis habuit, judicatum videtur. *d. l. 63.*

XXV.

Quod ſi talis incidat facti ſpecies, in qua requiritur neque expreſſe voluntas nec contradictio, an ulli extremorum applicandum eſt? Minime, quemadmodum ſpecies eſt *in l. 1. §. 3. ff. de tribut. Act.* ſi vero neceſſe eſt alicui extremorum adjungi, nec ex contumacia reſpondet quis, præſumitur in ſui præjudicium vel aſſentire vel contra dicere. *l. 11. §. 4. ff. de interrogat. &c.* velle enim nemo creditur id quod facere poteſt, nec facit. *l. 14. ff. de teſtamento milit. juncta. l. 3. C. de inofficioſo teſtam.*

XXVI.

Hæredibus lex dedit anni ſpatium ad deliberandum, num adire an repudiare velint hæreditatem. *l. 19. C. de jure deliberandi.* Quid ſi hæres cui ſubſtitutus datus eſt anno lapſo mentem non declarat ſed taceat, an repudiaſſe an adiviſſe hæreditatem cenſendus eſt? quod commode ſub diſtinctione ſic explicari poſſe puto, aut enim ſubſtituto urgente deliberavit & tunc repudiaſſe cenſebitur hæreditatem, ac ſubſtituto locus erit. *l. 69. ff. de acquir. hæred.* aut urgentibus creditoribus & legatariis, quo caſu ex ſilentio adiviſſe præſumetur hæreditatem. *l. ult. §. 14. in med. C. de jure deliber.*

XXVII.

Tacitus tamen in multis, conſenſus non ſufficit, præſertim cum ipſum negotium gravi obnoxium eſt præjudicio, aut ipſa Lex expreſſum requirit conſenſum: unde quæſtio, an taciturnitas ad aliquem obligandum pro conſenſu habeatur? Reſp. in theſi quod non *l. 8. §. 1. ff. de procurat. l. 48. §. 3. ff. de furtis*, inducit tamen conſenſum ad obligandum ubi vertitur favor reipublicæ. *l. 7. §. fin. ff. de decurionibus. l. 1. C. de filiisf.* item propter populum, etiam propter dominicam ac patriam poteſtatem. *l. 2. in princ. ff. de nox. Act.*

XXVIII.

Requirunt etiam expreſſum conſenſum ea negotia, quæ per ſtipu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 22

ſtipulationem fieri debent: quia ſtipulatio nutu non contrahitur: jure civili enim, requiruntur verba, quamvis qualiacunque ſufficiant mentem exprimentia. *l.* 1. *in fin. ff. de verb. obligat.* dummodo verba ſunt, *d. l.* 1. *§.* 2. *in pr. ff. eodem.* aliter ſi ſimpliciter ſtipulanti quis annuat, non tantum non civiliter, ſed nec naturaliter obligari conſtat: & ideo recte dictum eſt, non obligari pro eo nec fidejuſſorem, quidem. *d. l.* 1. *§.* 2. *ff. de verb. oblig.* Nec obſtat fidejuſſorem qui pro pupillo (dicitur enim hic ſæpe in jure noſtro ne quidem naturaliter obligari, ut eſt *in l.* 41. *ff. de condict. indebiti. l.* 59. *ff. de obligat. & Act. l.* 13. *ff. de condict. indeb. &c.*) interceſſit, obligari, nec prodeſſe ei exceptionem. *l.* 7. *ff. de except.*

## XXIX.

Hoc quoque notandum eſt, quod is, qui præſens tacuit quando res ſua furto auferebatur, non cenſetur conſenſiſſe, ac proinde illi competere actionem furti, perinde atque ſi eo invito fuiſſet contrectata. *l. penult. ff. de furtis.* cujus hæc ratio eſt, quod odio furum hoc ita receptum eſt, qui quod tacuit dominus, objicere, & ſic propriam allegare turpitudinem non debuerunt. Secus in poſſeſſione, quam quis ab initio, furtive ingreſſus eſt, ſciente & tacente eo, quem ſibi controverſiam facturum ſuſpicabatur, quia taciturnitas & patientia hic conſenſum imitatur. *l.* 16. *ff. ſi ſervit. vind. l.* 26. *ff. de acq. poſſeſſ.*

## XXX.

Illud poſtremo non omittendum, in judicialibus regulariter taciturnitatem partis præſentis habere pro conſenſu, & ſibi præjudicare, videtur namque confirmare quod objicitur, cum non vult reſpondere quod quæritur.

# F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 22

*Ornatiſſimo Domino*

# ALEXANDRO AB EDENBURG,

Pro titulis, & honore Doctorali diſputanti.

Magnus Alexander Terrarum vicerat Orbem,
  Vicerat; & victus funere Victor obit.
Heu me! nil ſceptrum, nihil ingens Gloria rerum eſt:
  Quod ſurgit, Fato, mox, veniente, jacet.
Ingenium fugit urna Capax, tua Muſa perennat,
  Effugiet pietas, Cætera nulla rogos.

Devinctus

J. J. de BEINTEMA.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 22

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 22

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 22

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 22